H

Vir clarissime, Doctissime!

Amice optime!

Quarta iam fere elapsa est septimana, ex quo nullas vel abs te accepi vel ad te dedi literas. Me quidem supinae potius adeo-que negligentiae, quod promissorum fuerim omnino immemor, nec, fateor, sine magna probabilitatis specie tot abs te fiet. Sed potius tibi ipse velim meum tribuas silentium. Quoniam enim in tuis, mihi certe gratissimis, eras pollicitus, te microscopia quaedam proxima die mihi missurum; illam ~~[illegible]~~ diem expectavi adhuc; cumque forte post aliquot hebdomades appropinquaturam speravi. Sed spes mea me fefellit. Unde diutius protrahere moram, quantum quidem in me est, neutiquam volui; utpote qui nulla re magis delector, quam tuo literarum commercio. Quia vero fidem non liberasti tuam, ideo ad certamen aliquod literarium te provocem curabo. Sed noli quaeso, Amice suavissime liberius scribendi genus ferre aegre, aut in malam interpretari partem. Nova, quae ad me ~~[illegible]~~ transscripsisti, mihi longe fuerunt gratissima. Mira collegia Magistri Koloff, qui Magistri quoque nomen meretur, satis mirari haud potui. Idem

vero an praelectiones suas magno cum applausu instituat, scire
percupio. M. Etiam prudens egit, quod conditionem illam adsumere
haud recusavit. Successum disputationis Wigandianae itidem mihi
prout promisisti, significabis, nec non si quae alia occurrunt notatu digna.
Sed nunc ad nova Jenensia. Carpovium nuper, Scriptum Langii
Sechs Tit der philosophischen Religions-Spötter, satis salse refutasse
editis aliquot plagulis, ignotum tibi esse haud potest. Ante aliquot
septimanas unico actu, sed maxime solemni, viginti Medicinae
Doctores sunt creati; quorum vero unicus tantum erat praesens,
reliqui omnes absentes. Stollius Historiae suae literariae novam
parat editionem, supplementis utilissimis locupletandam. Utor
tot viro praeceptore in re literaria, uti in philosophicis Carpo-
vio, in theologicis autem Reuschium audio. Disputationes publicae
admodum frequentes hic habentur, quarum argumenta tibi recensere
supervacaneum duco. Nec minus privatim saepissime colloquia
disputatoria instituuntur; in quorum uno, bene modo defendentis
munere (sub praesidio Carpovii) sum functus. (Sed haec sub ami-
citiae sigillo scripta velim.) Magister ille Arnoldus de Do-
broslow, nobilis Bohemus, qui, relicto pontificiorum coetu, ad
Lutheranorum castra transiit, quem vidisti et convenisti Halae,
dominica XX post Trinit. publica concione habita, errores ponti-
ficios eiuravit, contra, doctrinam evangelicam professus et ample-
xus est. Sermo iste sacer typis excusus est, sed indignus quem tibi
mittam; nihil enim solidi in eo invenire potui; verba sunt, prae-
tereaque nihil; ima ubique sunt mixta summis, quadrata rotundis.

Aperuit hic nuper scholas Juris Canonici; sed an eandem sit continuaturus, vere me fugit.
Ceterum utrique parenti Tuo Honoratissimo meo nomine salutem plurimam dico; mihique quamprimum responsionis TUAE maximam creabis voluptatem; Vale, et favere perge

Vir clarissime, Doctissime,
Amicorum dulcissime

Nominis TUI suavissimi

Dab. Ienae die XXVII. Novembr.
a. r. s. MDCCXXXV.

cultori perpetuo
Christ. Io. Ant. Genuino